



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De Potestate Papae, cap. 33.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

quar libentissimè. Ego dubito & disputo, & quantum huc vsque lego & video, teneo negatiuam, paratus tenere affirmatiuam, postquã Ecclesiã sic placuerit. An nondum videmus (inquit) quã vigil sit Christus in Ecclesia sua, vt etiam errare volentes, non permittat errare? Et in decem præceptis, Meo (inquit) iudicio dicam, saluo vniuscuiusque sensu. In hac perdita temporis miseria prorsus non est tutum, relinqui vnumquemque, præsertim simplicioris & rudioris animi hominem suæ deuotioni & discretioni, contra apertos Canones. Cuius ratio est (inquit) quia ideò sunt positi Canones patrum, vt dirigant populum. Et debet vnicuique sua deuotio semper esse suspecta, & tantò magis quantò magis placet, cùm est contra communem vsum vel Decretum Patrum: cùm scias, quòd angelus Satanæ in lucis angelum sese transfigurans, summè sit timendus & cauendus. Qui sub specie deuotionis facilè omnia Decreta solueret. Et illud Deuterò. xij. Iud. xix. Vbi præcipitur, imò prohibetur ac reprehenditur, ne quilibet faciat, quod sibi rectum & bonum videtur.

*De decem
præcep. c. 3.*

De potestate Papæ.

C A P. XXXIII.

VBi hîc quæso incipiam? vbi desinam? tam variæ sanè ac contrariæ sunt Lutheri sen-

DE POTESTATE PAPÆ.

*In Epist. 1.
ad Leonem
decimum.
In Resolu.
Gen 9.*

tentiæ, ut vel legere pigeat, nédum scribere. Quàm blanda, rago, sunt hæc in Resolutionibus eius? Ad Leonem decimum. Quare, beatissime Pater, prostratum me pedibus tuis, tuæ B. offero cum omnibus quæ sum & habeo. Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, Vocem tuam, vocem Christi in te præfidentis & loquentis agnoscam. Et conclusione nona, Bene nobis facit (ait) Spiritus sanctus in Papa, excipiendo in suis decretis semper articulum mortis & necessitatis. Item Cōclusionone vndecima, Papa non habet alterius generis potestatem quàm alius sacerdos, sed alterius quantitatis. Quia ipse omnium peccata. Alij aliqua remittunt: Et quantam satisfactionem illi in aliquibus, tantam ipse in omnibus potest remittere, nec amplius, alioquin mōstrum esset Ecclesia, ex diuersi generis potestate cōstituta. Item, Conclusione vigesima sexta, Ego audio (inquit) Papam vt Papam, Id est, vt in Canonibus loquitur, & secundū Canones loquitur, aut cum Concilio determinat: Non autem, quando secundum suum caput loquitur. Homo enim est, sicut & cæteri, multi fuerunt summi Pontifices, quibus non solùm errores & vitia, sed etiam portenta placuerūt. Item, Conclusione sexagesima prima. Clarum est (inquit) quòd ad remissionem pœnarum & casuum sola sufficit potestas Papæ. Quando ergo sacerdotali officio excommunicat, absoluit, ordinat, deordinat, statuit, abrogat,

præcipit, prohibet, dispensat, mutat, interpretatur: In his omnibus agit virtute istius verbi: Quodcunque solueris, &c. Item Conclu. lxxix. Tenetur (inquit) Episcopi & Curati, veniarum Apostolicarum Commissarios, cum omni reuerentia admittere, quia auctoritati Papali in omnibus cum reuerentia cedendum est. Qui enim potestati resistit, resistit Dei ordinationi. Qui autem Deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et Dominus ipse, Qui vos spernit, me spernit. Igitur licet in rebus exiguis, nihilo tamen minus quam in magnis, auctoritati cedendum. Hinc illud etiam venit, quod & si Papa ferret iniustas sententias, timendæ tamē sunt, & vt Carolus inquit Imperator, Quicquid imposuerit, quantumuis graue sit, ferendum est: sicut & experientia videmus fieri ab Ecclesia, quæ certè infinitis oneribus hodie premitur, & tamen piè & humiliter fert quieta. Item Conclu. lxxj. Contra veritatem (inquit) Apostolicarum veniarum qui loquitur, sit ille Anathema & maledictus. Quia & si res parua sit veniarum largitio, tamen contra potestatem superbè agit qui contradixerit. Ideo meritò maledicetur, cum obedientia Ecclesiastica eo sit mirabilior, quo etiam in vilioribus suo sensui cedit & humiliatur. Denique Conclu. lxxxvj. ait. Nō est nostrum iudicare voluntatem Papæ, sed tantummodo ferre, etiam si quando fuerit iniquissima, vt supra dixi.

DE POTESTATE PAPÆ.

Hæc & id genus plura scripsit Lutherus in eo libro, quo nullum edidit vnquam gratiorem, cunctisque vulgo plausibiliorem. Ex isto meruit primùm dici à suis: Vir Dei, Zelator veritatis, Vindex Euangelicæ libertatis & doctrinæ, &c. Æquum esset igitur, vt iussu tuo, (Illustrissime Princeps) ad prima nouæ doctrinæ suæ fundamenta rediret, reuocatis & à seipso reprobatis & damnatis omnibus, quæ in contrarium postea commentus est in complurimis, & libris & sermonibus: si non velit audire Euangelicam Christi sententiam, Ex ore tuo te iudico serue nequam. Item, Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Quod certe iam factum esse, ipse quoque fatearis: si ea saltem legere non pigeat pudeátque, quæ nuper in Anabaptistas libello haud ita longo perscripsit. Reprobat enim ibi stultitiam (& bene quidem) illorum, simul & Suermerorum, qui in odium Papæ baptismum paruulorum & corpus Christi in sacramento reiciunt & abnegant. Nam hac ratione (inquit) oporteret eos negare & totam scripturam & prædicandi officium. Hoc totum enim à Papa habemus. Stultitia igitur est hoc totum quod moluntur. Nam & Christus in gente Iudaica inuenit Pharisæorum & Scribarum abusus, non tamen propterea totum reiecit quod illi habuerunt & docuerunt. Matthæi vigesimotertio. Nos autem fatemur:

Luc. 16.
Matth. 12.

(inquit) sub Papatu plurimū esse boni Christiani, imò omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse. Quippe fatemur, in Papatu veram esse scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris, veras clauēs ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, vt sunt, Oratio Dominica, Decem præcepta, Articuli fidei, Dico insuper, sub Papa veram Christianitatem, imò verum nucleum Christianitatis esse. Confer quæso (Illustrissime Princeps) hæc prima & nouissima Lutheri tui scripta, ad furores eius, quibus insaniuit contra Papam in Babylone, in visione Danielis, in Abroganda Missa, in Assertione articulorum, in execratione Bullæ, in iudicio de votis, &c. vt cogites, quid respondere queas propediem, Deo, Cæsari, & Concilio.

De Conciliis generalibus.

CAP. XXXIII.

QVàm iniurius contumeliosusque & blasphemus in sacra Concilia fuerit plerumque Lutherus, nouerunt sanè omnes, qui eius insanias in Babylone, in Abroganda Missa, in visione Danielis &c. legerunt. Ego breuitatis gratia, ex 500. tantū articulis, ad quos respondi ante aliquot annos, quædam succinctè commemorabo hîc, vt videas (Illustriss. Princeps)